







1787

1779, 10.

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
VEXILLIS EORVMQVE IVRE



QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.

SOCIO  
DIE I APRIL ANNO MDCCCLXXIX.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
CONRADVS CHRISTOPHORVS EYRING  
LL. AA. M.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.





DISSELTATIO IURIDICA

DE

VEHICULI FORMAE IURE

ILLUSTRISSIMO AC

REVERENDISSIMO

ACADEMICO

D. CHRISTIANO HENR. BREYNER

PROFESSORE JURIS NATURALIS

ET HISTORIAE

1771

IN ACADEMIA ALMA M. G. B.

EVANGELICA

CONRADVS CHRISTOPHORVS EYRING

LIBRARIVS

IN ACADEMIA ALMA M. G. B.







VI  
§. I.

**S**ymbola si vlla in re vsum praestant, praestant sane in re militari. Nulla propterea fuit aetas, nulla gens, quae iis non vsa sit in bellis gerendis. Ita apud Romanos veteres signorum militarium, ita apud nos eorum inualuit vsus. Par enim vbique est ratio. Distinguuntur iis milites, et a suis, et ab hostibus. Signis porro militibus est opus, quae sequantur et adspiciant, in castris, itinere, proeliis, quibus iis indicetur, an standum sit, an progrediendum, an recedendum. <sup>1)</sup>

1) Beuff. Obs. milit. P. II. c. §. obs. 205. §. I.

§. II.

Sunt vero signa militaria, vel muta, vel semiuocalia, (quae si instrumentalia appelles perinde est,) vel vocalia. Muta Romanorum signa erant manipulus, aquila, dracones, vexilla, cantabra, flammulae, labarum; ad semiuocalia seu instrumentalia pertinebant tubae, buccinae, cornua, litui; tertium signorum genus constituere tessera. <sup>2)</sup> Hodie vtimur vexillis, tubis, tympanis et tessera. <sup>3)</sup> Nollem vero, cum Beuffio, <sup>3)</sup> in signorum militarium numero collocare hymnum Ambrosianum vulgo dictum: *TE DEVM LAUDAMVS*, ob deportatam victoriam, aliasque res prospere gestas, quem solent cantare. Pari ratione enim et epinicia huc essent referenda, quod tamen absurdum. Finis enim signorum militarium ibi plane cessat, quapropter vir, alioquin magnus et rei militaris peritissimus, hac in causa vehementer fallitur.

1) Dionys. Gothofredus ad rubr. ff. de V. S. lit. v. Lipsius de militia Rom. Libr. IV. Beuff l. c. §. 4



## IV

- 2) Fleming *vollk. Soldat* P. III. c. 28. §. 10, 11. et 12. et P. II. c. 18. §. 1.  
Beuff l. c. §. 4. et 5.  
3) Beuff l. c. §. 3.

## §. III.

Facile vero viro huic Illustri \*) largior, tormentorum ictus symbolis militaribus posse adnumerari. Signa enim iis dantur, uti omnibus, qui in re militari non plane sunt hospites, non potest esse incognitum. Caue tamen tormenta ipsa signa appelles, quippe quae propterea non conficiuntur, ut signa iis dentur, unde facile patet, armis potius, quam signis ea esse accensenda.

1) l. c. §. 4.

## §. IV.

Quoniam consilium est nobis, pauca de mutis differendi, signis militaribus semiuocalibus et uocalibus diutius non immoramur. Id unicum saltem de illis addere liceat, tesseram Gallis vocari: PAROLE, et Germanis: *das Wort*, et prae- rumque constare nominibus propriis loci cuiusdam et personae, v. c. *Friedrich und Berlin, August und Dresden*.

## §. V.

Superfunt autem hodie, (ut ex antea dictis elucet,) ex mutis symbolis bellicis sola vexilla, quorum usus ad nos a Romanis peruenit. Quumque aquilarum, draconum, vexillorum cet. eadem sit ratio, idemque finis, et forma tantum externa differant, sane maiores nostri non sunt culpandi, qui sola vexilla retinere, persuasi, entia non esse multiplicanda praeter necessitatem. En rationem cur libellum nostrum non de mutis signis in genere, sed de vexillis in specie inscripserimus! Antequam vero de vexillis loquamur, de ceteris mutis symbolis, quae apud Romanos obtinuerunt, pauca erunt dicenda.

## §. VI.

MANIPVLVS a Romulo inuentus, est quasi parens omnium mutorum in bello signorum. Erat autem Manipulus per-  
tica



tica cui foenum alligatum. Numerus militum hoc signo instructus inde nomen accepit manipuli, quapropter ita canit Ovidius: <sup>1)</sup>

*Pertica suspensas portabat longa manipulos,*

*Vnde manipularis nomina miles habet.*

Elegantior vero posteriore aevo signi huius forma evasit. Foeni enim locum occuparunt imagines, Martis, Bellonae et Caesarum, perticae autem hasta. <sup>2)</sup> Quaelibet tandem centuria gerebat manipulum.

1) lib. III. Fast. v. 118.

2) Plin. H. N. lib. X. c. 14. Vegetius de re milit. l. II, 6.

§. VII.

AQUILA, hastae, expansis alis, imposita, cuius figuram in pluribus nummis expressam videmus, erat integrae legionis signum. Erat vel ex auro, vel argento confecta, et forma illius non adeo magna. Teste enim Floro <sup>1)</sup> in clade Variana signifer, aquilam intra baltei sui latebras gerens, in cruenta palude delituit. Romanis igitur aquila fuit, quod nobis vexillum primum, (*die Leibfahne eines Regiments.*) Ceterum aquila I. R. G. originem debet huic veterum Romanorum aquilae; orta enim est ex huius imitatione. Quo tempore vero id factum, parum exploratum est. Hoc certe scimus, Fridericum Barbarossam in vexillis suis aquilae imaginem gefisse. <sup>2)</sup> Vtrum vero Carolus M. an successorum vnus, an Fridericus I. ipse, eius rei fuerit auctor, non liquet. Asserti nostri veritatem comprobant nummi Fridericorum aurei, Augustales, vel Augustarii nimirum. In iis enim ex vna parte Imperatoris imago, ex altera aquila perspicitur. Aquila vero et Romanorum et Friderici I. erat solitaria; geminata enim recentioris est aevi et notae. <sup>3)</sup>

1) E. R. R. l. IV, 126.

2) Günther in Ligurin. l. 7. v. 504. sqq.

3) Caesandr. Thucel. in Elect. Tur. publ. p. 158. sqq.



DRACONES confecti erant ex panno vel linceo rubro. Terribiles erant ad spectu; a vento enim moti sibilabant, velut ira perciti, caudarum volumina relinquentes in ventum, teste Ammiano. <sup>1)</sup> Ea de causa cecinit Claudianus: <sup>2)</sup>

*Manusunt varii vento cessante dracones.*

Ante Traiani tempora nondum erant in usu. Isidorus <sup>3)</sup> tradit, signa haec ab ipso Apolline morte draconis inchoata, et dehinc a Graecis et Romanis in bello gestata. Nullo vero fundamento, Isidori haec nititur opinio. Python enim Ovidii <sup>4)</sup> est fabula, non historia, et deinde etiam falsum est, Graecos draconibus usus fuisse. Verius est, ad Romanos draconum usum ab aliis populis, quibuscum bella gesserunt, peruenisse. <sup>5)</sup> Quaecunque cohors dracone erat instructa. <sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> H. I. XVI, 10.

<sup>2)</sup> in Rufin. II, 365.

<sup>3)</sup> XVIII, 3.

<sup>4)</sup> Met. I, 8.

<sup>5)</sup> Testimonia collegit Lips. in milit. Rom. IV, 5.

<sup>6)</sup> Veget. II, 13.

### §. IX.

LABARVM iam liberae reipublicae temporibus erat introductum. Erat splendidum hoc signum vexillorum species, ex panno vel serico rubro conditum, baccatum, auroque distinctum. Constantinus M. crucis figura illud insigniuit, ex eiusque constitutione primum fuit vexillum, et signum totius exercitus commune, quod omnes sequerentur legiones: praeferebatur enim Imperatori. Nazianzenus <sup>1)</sup> appellat Labarum magnum vexillum, quod simul cum cruce magnifice et insigni pompa exercitum ducat, et principatum in reliqua omnia vexilla teneat. Origo vocis valde est dubia. Alii deducunt a LABORE, alii a LABIIS, alii a LAVREATA Imperatoris effigie, alii a graeco: *λαβωρον*. <sup>2)</sup> Sed cur a labore? Quia multo labore



bore erat confectum? — Tunc, profecto, innumerae res ita essent appellandae? Obstat etiam syllabarum quantitas. In 70 Labarum enim penultima brevis, in 70 labor longa est, iuxta Prudentii 3) versum:

*Christus purpureum gemmanti textus in auro*

*Signabat labarum, clypeorum insignia Christus.*

Ceterarum derivationum etiam praestat nulla. Ego quidem cenſeo ſelectendum eſſe hoc vocabulum a graeco: *λαφυρον*, quod denotat veſtem hoſtibus detractam, ſ. ſpolium. Vexilla enim eiſmodi in bello ceperunt, eaque deinde imitati ſunt Romani.

1) in Orat. in Iulian.

2) Beuf Obf. mil. P. II. c. 8. obf. 218. §. 2. 3. Nazianz. in Orat. in Iul.

3) Conferantur de Labaro: Carol. du Freſne Gloſſarium med. atque inf. Lat. hac voce. Stevechius ad Veget. l. III, 17. Obrecht de vexillis Imperii c. 2. D'Orleans ad Tacitum l. 2. Nicephori H. E. l. VIII, 23. Eusebius in vita Conſt. M. L. I, 30. Flemming *Soldat* P. III, c. 23. §. II.

#### §. X.

Ultimis Imperii Constantinopolitani temporibus vexillum occurrit nomine *βελλιον*, quasi duplex velum, siue diuclium. Magni aestimabatur; silentibus vero scriptoribus, nihil de illo, praeter nomen, scimus. 1)

1) Conf. Codinus de Offic. Conſt. c. 5. num. 65. Meursius in Gloſſar. graec. barb. voce *διβελλιονδι*.

#### §. XI.

Paragraphis proxime antecedentibus specierum duarum vexillorum fecimus mentionem, Labari nimirum et Bellii. Iam venimus ad genus, ad VEXILLA scilicet. Praemissimus vero species dictas ea de causa, ut materiam de vexillis, de quibus principalis nobis est sermo, in una serie pertractare possimus.

#### §. XII.

Erant vero Romanorum VEXILLA vela pansa, e purpura, quadrata forma, facta, longisque hastis suspensa. Forma itaque



itaque eorum non multum differebat a vexillorum nostrorum equestrium forma, (*Standarten*.) Proprie vexilla signa erant equitatus, <sup>1)</sup> vnde et hic VEXILLATIO <sup>2)</sup> appellabatur, quaelibet enim turma vexillum gerebat. Inficiandum tamen non est, et peditatum ius vsum fuisse, fit enim in auctoribus mentio vexillorum peditum. <sup>3)</sup> Proprie vero, vti iamiam monuimus, signum erat equestre, et non nisi recentioribus temporibus, additoque vocabulo: PEDITVM, eo nomine peditatus signa insigniebantur. <sup>4)</sup> Ceterum omnibus vexillis Imperatorum nomina erant inscripta. <sup>5)</sup> Species vexillorum erant CANTABRA et FLAMMVLAE seu FLAMVLAE. Cantabra ergo omnia et flammulae sunt vexilla, non omnia vexilla cantabra et flammulae. Cantabra erant vexilla, quibus CARMINA inscripta, et propterea a CANTANDO cantabra, <sup>6)</sup> flammulae, vexilla, a flammis, quarum speciem imitabantur, ita vocata. <sup>7)</sup>

1) Veget. l. II, 1.

2) Suet. in Galba, c. XX.

3) Veget. l. II, 14. Vt enim CX pedites vno VEXILLO gubernantur, similiter CXXX equites sub vno VEXILLO reguntur.

4) Veget. l. c.

5) Suet. in Vespas. c. XV.

6) Min. Fel. in Octav. XXIX, 7. Tertull. ad Nationes I, 12. Cantabra vexilla sunt, quae non tantum colore militibus erant pro signo, sed et carmine aliquo inscripta CANTABANT siue significabant illis, aliquid grati et iucundi.

7) Veget. l. III, 6.

### §. XIII.

Vexilla hodie et equitatus et peditatus sunt communia. Nobis itaque VEXILLVM est GENVS, eiusque SPECIES: vexilla PEDESTRIA, (*Faknen*) et EQVESTRIA, (*Standarten*). His, vti ex ipsis verbis intelligitur equitatus, illis peditatus vtitur. Horum forma Romanorum vexillis est similis (§. antec.) illorum haud aequae, sunt enim forma longiore.

### §. XIV.



## §. XIV.

Latina vox: VEXILLUM est diminutivum a VELO, et synonyma eius, licet barbara sunt BANDERIVM et BANDVM. <sup>1)</sup> A quamam vero voce germanica denominatio: *Fabne* originem ducat, critici certant, et adhuc sub iudice lis est. Alii <sup>2)</sup> deriunt ab absoleta voce *Fan*, quae significat *dominum*, provocantes ad nummos veteres, et ad antiquam Evangelistarum versionem Gothicam. In illis enim perspiciuntur vexillorum imagines, in his verba <sup>3)</sup> leguntur: *Managae quit haud ims in genamma daga: Fan! Fan!* et porro: *Fan this Weingardis*. Alii <sup>4)</sup> a polonica voce: *Pan*, quae etiam denotat *dominum*. Alii a graeca voce *βανδογ*. Alii aliter. Quia vero fatius est vocem germanicam a germanica, quam a graeca vel polonica lingua deriuare, nos priori sententiae accedere non dubitamus.

1) Carol. du Fresne Glossar. med. atque inf. lat. hac voce. Obrecht de vexillis Imp. c. I.

2) Franciscus Junius in Glossar.

3) Matth. VII, 22. Marc. XII, 9.

4) Lazius in Comment. Reipubl. R. I. VII, 5.

## §. XV.

Medii aevi scriptores, pro more suo, transformarunt germanicum vocabulum: *Fabne* in latinum, ex qua eleganti metamorphosi ortae sunt barbarae voces: *Fanum, Fanon, Fano, Phano*. <sup>1)</sup> Ita leguntur in Ottonis II. diplomate donationis Monasterio Gorziensi anno 982. concessae haec verba:

— quod fuit inter nos et Saracenos sub *Fanone* nostro, hoc est Imperiali *vexillo*, legali ritu tradendum, cet. <sup>2)</sup>

Vnde, quibus catholica ecclesia vitur, vexilla, (quae Laboro, de quo §. 9. dictum non sunt dissimilia) *Fanones* appellantur. <sup>3)</sup>

1) Obrecht de vexill. Imp. c. I. Du Fresne Glossar. med. atque inf. lat. verb. Fano.

2) ap. Christetium in Commentar. Lothariens. c. 2. p. 10. ubi integrum diploma refert.



## X

3) Leo IV. PP. de cura pastorali. Amalarius in Ecclōgis de Offic. Missae. Durandus in Rational. diuin. offic. Libr. IV. c. 30. num. 17.

## §. XVI.

Synonymum germanici vocabuli *Fabne* est vox: *Panier* vel *Panir*, quae denominatio sine dubio descendit a verbo: *Band*. Coniuncti enim sunt ii, qui idem vexillum sequuntur. <sup>1)</sup> Confirmat opinionem nostram Procopius, qui <sup>2)</sup> duces vfos fuisse vexillo, cui nomen *Banda*, testatur. Reperiuntur similiter in LL. Allemannorum verba: <sup>3)</sup>

— *Alsdann giebt der König ein Baner, cet.*

— *Ein Panier, darauf steht ein schwarzer Adler. cet.*

Et notissimum est: *das Reichs-Panner-oder Fähndrichsamt.* <sup>4)</sup>

1) Beust. Obf. m. P. II. cap. 8. obf. 209. §. 3.

2) de Vello Vandalico l. 2.

3) vid. Gloss. ad *Lebnr.* lib. III. art. 60.

4) Pierre Martau in Elect. Iur. Publ. c. I.

## §. XVII.

Vocabulum *Standarte* deriuandum est a verbo germanico: *Standa*, vel *Stanta*, quod idem est ac praesentare, (*darstellen* vel *vorstellen*.) Dicunt etiam barbari scriptores: *Stannitium*, *Standaitium*, *Standaleum* et *Standardum.* <sup>1)</sup>

1) Beust l. c. obf. 210. §. 2.

## §. XVIII.

Quemadmodum Germani in re militari multas alias Romanorum consuetudines: ita et Labarum imitati sunt. Erat hoc Germanorum Labarum, dictum ab iis *Standardum*, tantae magnitudinis, tantique ponderis, vt hominis vires ei ferendo pares non essent, imponebant itaque illud vehiculo. <sup>1)</sup>

1) Hachenberg de Germania med. Diff. IV. §. 11. Mafcouius in der *Geschichte der Deutschen bis zum Abgange der Merovingischen Könige*, libr. XVI. §. 30. Lockenius in *Antiquitatibus Gothicis*, libr. III. 2.

## §. XIX.



## §. XIX.

Gerebant in vexillis suis veteres Germani luporum, equorum, leonum, draconum, aquilarum, imo et sanctorum imaginis. <sup>1)</sup>

1) Lockenius l. c.

## §. XX.

Turcis loco vexilli est cauda equina, (*Rofscheiſ*) cuius rei reddere rationem, pleno non est huius loci. Variant etiam de origine istius consuetudinis scriptorum relationes. Aliter rem narrat Coronellus, <sup>1)</sup> aliter Ruinettus, <sup>2)</sup> quos adeat B. L. Praeterea apud Turcas etiam obtinet Labarum quoddam, vexillum nimirum Mahomedis, quod magni faciunt eique tribuunt vires fere diuinas. <sup>3)</sup>

1) In memoires historiques du Royaume de la Morée P II.

2) in Mem. de la Morée.

3) Acta Erud. d. a. 1688. p. 162. Linn. Ius publ. l. VI, 6. num. 115. sqq.

## §. XXI.

De vexillis Danicis *Reafan* ac *Danebrog*, <sup>1)</sup> Gallorumque *Auriflamma*, <sup>2)</sup> et quae de iis narrantur fabulis, nihil addimus, quum plane nostri non sit instituti. Eadem moti causa de R. G. Imperii vexillis <sup>3)</sup> verba non facimus, de *Iure* potius vexillorum iam disserturi.

1) Vid. Bertraud de Argentré l'histoire de Bretagne, l. VII. p. 352. Bartholin. dissert. de Origine Ord. Danebrog.

2) conf. Pithaeus L. I. des Comtes de Champagne et Brie p. 480.

3) Vid. Glossa Germ. ad Speculum Sax. lib. III. art. 60. Obrecht de vexill. Imp.

## §. XX.

Magna semper signorum militarium, mutorum imprimis fuit dignitas, immo religio, id quod ratio et finis eorum sane postulare videtur. Romani veteres muta sua signa in deorum



habebant numero, eaque, ceu reliquos deos, venerabantur. (Ita, teste Suetonio <sup>1)</sup> Caligula, Euphratem transgressus, signa adoravit.) Iurabant apud ea <sup>2)</sup> floribus ea exornabant, <sup>3)</sup> eaque inungebant <sup>4)</sup> festis diebus. (Pertinet huc Inscriptio in marmore antiquo: CORONAE. INLATAE. SIGNAQVE. VNCTA.) Ad signa confugientem occidere nefas erat. (Ita Plancus, apud Tacitum <sup>5)</sup> signa amplexus, religione sese tutabatur.) Tribuebant iis vim diuinandi, malum omen ducentes, si, fixa, magno opere essent euellenda. <sup>6)</sup> Vnde Florus <sup>7)</sup> narrat, aquilas ante pugnam Cannensem prodire noluisse. Imo Romanos in castris versantes, signa omnibus diis ceteris praeposuisse, auctor est Tertullianus. <sup>8)</sup> Sane Tacitus diserte deos illa appellat. <sup>9)</sup>

1) In vita Calig. c. XIV.

2) Tacit. Annal. XV, 16. Iureiurando cautum apud signa, neminem Romanorum Armeniam ingressurum.

3) Sueton. in vit. Claud. XIII. Neque aquila ornari, neque signa conuelli potuerunt. Claud. Nupt. Honor. et Mar. 187.

— — Mauortia signa rubescunt.

Floribus et subitis animantur frontibus hastae.

4) Plin. H. N. XIII, 3. signa inunguntur festis diebus.

5) Annal. I. 39.

6) Appian. de b. Parth. p. 142. Conf. Cic. de diuin. I, 35. Val. Max. Fact. Memorab. I, 66.

7) E. R. R. II, 6.

8) Apol. c. 16.

9) l. c. verbis: ac ni aquilifer vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus P. R. Romanis in castris, sanguine suo, altaria deum commaculauisset.

## §. XXIII.

Nec causa, qua moti, tantam signis militaribus tribuerint religionem veteres Romani difficilis est coniectu. Quemadmodum enim tota eorum religio rationibus politicis nitebatur: ita et hoc loco. Quae enim pugna potest esse atrocior, quae cruentior, ea, in qua milites deos vident praesentes, eorumque au-



auxilio freti in hostes irruunt, ea, in qua pro patria et religione simul nobilem effundunt sanguinem? Nonne dulce et decorum ita mori, ita perire? — Facile itaque est perspectu, cur in extremis ancipitis proclii periculis, signa, inter pugnandum, iecerint in hostes. Quum enim signa amittere idem erat ac religionem et deos et sacra prodere, militum erat aut vincere atque repetere, aut mori. <sup>1)</sup>

- 1) Frontinus Stratagemat. I. II, c. 18. auctor est Furium Agrippam, Quintium Capitolinum, Saluium Pelignum, M. Furium Camillum aliosque signa suis erepta in hostes iecisse, vt languidioribus aut timidioribus ex necessitate robur imprimerent.

## §. XXIII.

Suadebat vero signa repetere non religio solum, sed pudor etiam et poena, quae, iis amissis, milites manebat, scientes, iis, qui signa non retulissent, esse moriendum. Vel omnes enim, qui signa reliquerant <sup>1)</sup> vel decimus quisque <sup>2)</sup> fustibus percutiebatur, quae poena, *fustuarium* (gr. *ξυλονπια*) iis nominabatur.

- 1) Liu. V, 6. Fustuarium meretur, qui signa relinquit.  
2) Tacit. Ann. III, 21.  
3) Liu. I. c.

## §. XXIV.

Erant etiam vexilla singularis in bello virtutis *praemia*. <sup>1)</sup> Quam ob causam Imperator sine dubio signa militaria, signa *victoria* appellat; <sup>2)</sup> minime vero ob crucem, quam Constantino M. cum Lemmate: *In hoc vinces* apparuisse aiunt. <sup>3)</sup> Erat itaque longe a re Ill. Benfius, qui hoc sibi persuasit. <sup>4)</sup>

- 1) Suet. Aug. c. XXV. Sall. b. Jug. c. LXXXV, Vopiscus in Aurelio XIII.  
2) L. 35. C. de locat. et conduct.  
3) Euseb. in vita Const. M. I. I. c. 30.  
4) in obs. mil. P. II. c. 8. obs. 210. §. 3. 4.



## §. XXV.

Et hodie vexillorum magna est grauitas, magnusque honor. Nulla omnino est gens, apud quam non maxima ualent auctoritate, et nulla prorsus in contrarium extant exempla. Sic v. c. milites honori exhibendo aptant bombardam, eorumque ductores capita detegunt, appropinquante vexillo, (germ. *die Gemeinen praesentiren das Gewehr und die Officiers nehmen die Hüte ab.*) Apud Catholicos sacris initiantur, et quamuis apud Protestantes haud aequae, et hi tamen, non sine sollempnibus ritibus, noua introducunt vexilla. Conuocati enim ad ea pertinentes milites, nouo obstringuntur sacramento, et praetor militaris, (*der Auditeur*) plerumque solet habere orationem. <sup>1)</sup>

1) Flemming *Soldat* P. II. c. 18. §. 7.

## §. XXVI.

Nouus quilibet miles iuramento vexillis obligatur, (quod uocant: *zur Fahne schwören.*) Iurant uero in leges militares, (quas nominant: *die Kriegsarticul* uel etiam *Articulsbriefe*) sancte promittentes, vexilla sua se nunquam relicturos, sed semper ea secururos, et ad extremum usque uitae halitum defensores. <sup>1)</sup>

1) Formulas exhibent Lünig in Corp. Iur. mil. Hofmann in Codice LL. milit. Saxon. Schaumburg *im Sächsf. Rechte* P. II. Exerc. IV. edit. d. a. 1768. p. 450. aliique.

## §. XXVII.

Militis itaque est, sequi vexilla, eaque nunquam relinquere. Id quod omnium populorum LL. militares postulant. <sup>1)</sup>

1) Tot. tit. C. de Defertoribus et occultatoribus eorum. L. 13. C. de re militari. Lünig, Hofmann, libris citatis.

## §. XXVIII.



## §. XXVIII.

Qui deserit vexilla, capitale patrat delictum, cuius, ex praescripto plurimarum LL. militarium, poena ordinaria est suspendium. <sup>1)</sup>

- 1) Max. II. Reuterbestallung d. a. 1570. art. 63. Eiusd. *Articul d. deutschen Fufskn.* d. a. e. art. 2. et 23. Friderici I. R. Bor. *Declaration des Edicts wider die Deserteurs* in puncto des Nasen- und Obrenabschneidens, d. a. 1712. Compilation des Reglements de Louis XIV, depuis 1651. Ius milit. Holl. d. a. 1705. art. 16. Ius milit. Dan. d. a. 1683. c. 6. art. 61. Georgii R. Britann. *Articulsbrief. Churfächf. Kriegsarticul* art. 7. et 8. a verbis: *Bey vorhabendem Marsch usque ad verba: derselbe soll ohne alle Gnade aufgebenket, da er aber nicht zu erlangen öffentlich citirer, vor vogelfrey erkläret, zum Schelmen gemacht, und dessen Namen an Galgen geschlagen werden.*

## §. XXIX.

Miles vexillum suum derelinquens et in fuga salutem quaerens, impune interficitur. <sup>1)</sup> Recte enim M. Aurelius dixit: In ipso congressu cum hoste articulo, plus fugiens vnus nocet, quam bis mille pugnantes profunt. Eiusmodi itaque miles, non pro milite, sed pro hoste habetur. Et id de iure. <sup>2)</sup> Merito itaque, Liuii teste, <sup>3)</sup> Q. Seruilius, signiferum ex suis, cunctantem tantum, nondum fugientem, occidit.

- 1) L. 3. §. 6. ff. ad L. Corn. de Sicar. Transfugas licet, *ubicunque inuenti fuerint, quasi hostes interficere.* Max. II. *Reuterbest.* verbis: *da auch andere in denselben schießen oder stechen, die sollen daran nicht gefrevelt haben.* Fr. Willh. *Articulsbr.* d. a. 1673. Tit. 8. art. 32. Io. Georg. I. *Churf. z. Sachf. Articulser.* art. 16. verbis: *und ob er darüber zu Tode geschlagen würde: so soll sich niemand an ihm verwürket, sondern gressen Dank verdienet haben.* *Holländ. Articulser.* art. 51. *Knorrs Kriegsprocesss 8tes Hauptst.* p. 208 et 209.  
2) L. 7. ff. de re militari. L. 3. §. 6. ff. ad L. Corn. de ficar.  
3) Lib. IV, 47.

## §. XXX.

Sed quid, iure hodierno, si tota legio, (*ein ganz Regiment*) vexilla amisit? Cape responsonem: Tunc vexillis caret, donec vel eadem, vel alia hostibus eripuerit. <sup>1)</sup>

- 1) Beuff. obf. m. P. II. c. 8. obf. 232.

## §. XXXI.



## §. XXXI.

Apud veteres Heluetios, legionibus, quibus adempta vexilla, nigra lintea erant gerenda.

1) Simler de republ. Heluet. L. I.

## §. XXXII.

Praefectus dediturus praesidium, vexillum album, extrema contra fortiter experturus, rubrum exponere solet.

1) Beust obf. milit. P. I. c. 9. obf. 9. obf. 148 et 149.

## §. XXXIII.

Adhibitis vexillis etiam fama restituitur. (Germani dicunt: *Einen durch Fahnenfchwenken wieder ehrlich machen.* De quo ritu plura dabunt Beust, <sup>1)</sup> Knorr, <sup>2)</sup> Flemming, <sup>3)</sup> Gribner, <sup>4)</sup> Schmieder, <sup>5)</sup> alique.

1) In obf. milit. P. II. c. 8. obf. 237.

2) *Im Kriegsprocesse* XI. Hauptst. p. 339. sqq.

3) *Im vollk. Sold.* P. IV. c. 47. §. 11.

4) In dissertatione de Iure principum Imperii restituendi famam.

5) *Im Churfächf. Kriegsrechte.*

## §. XXXIV.

Vexillum violare nemo audeat, grauis enim violanti imminet poena. <sup>1)</sup>

1) Beust Obf. milit. P. II. c. 8. obf. 231. §. I. verbis: *An den Fahnen soll sich niemand vergreifen, noch dieselbigen gewaltig anrassen oder verletzen. Der Verbrecher soll am Leben gestraft werden.*

## §. XXXV.

Vexillum, qui portat *vexillarius* proprie nominatur, habita antiquitatum Romanarum ratione; quia vero hodie, praeter vexilla, alia signa militaria muta non habemus, certe vexillarius et signifer sunt synonyma nobis. In genuino autem sensu



fenſu Romano, haec vocabula minime idem ſignificant, ſed differunt vt genus et ſpecies.

## §. XXXVI.

Quid vexillario vero incumbit? Eius eſt portare vexillum, ſedulo illud cuſtodire, ne capiat detrimentum, alii in itinere non tradere, ſed ſemper retinere, in acie et pugna, non niſi cum vita illud deponere, et potius illud frangere et ſcindere, quam hoſtibus relinquere vel cedere. Praëtica militaris <sup>1)</sup> ſigniferi munus his verbis deſcribit:

*Er ſoll ein braver, gerader, junger, ſtarcker und unverdroſner Cavalier ſeyn. Er ſoll ſein Fäbnlein fleißig und wohl bewahren. Im Felde ſoll er ſeine Fahne nicht aus der Hand laſſen, ſondern ſelbſt führen. Er ſoll in währendem Scharmuzieren und Feldeſchlachten die Fahne hochhalten und fliegen laſſen. Er ſoll ehe das Fäbnlein in Stücken zerreißen, ehe ers den Feinden zu Theile werden läßt. Er ſoll ſich ehe darein wickeln und ihm das Leben zuſammen mit der Fahnen nehmen laſſen.*

Conferatur etiam de vexillarii munere Flemming, <sup>2)</sup> qui ea de re vberius differuit.

1) quae habetur in C. I. M. ao. 1687. Fr. et Lipſi edito, P. II. ſub Tit. das Fäbnrichſam.

2) Im vollk. Soldat. P. II. c. 18. §. 2. ſq.

## §. XXXVII.

Quemadmodum denique Romani ſigna ſua in templo Saturni ſancte referuabant: <sup>1)</sup> ita noſtra vexilla in aedibus praefecti (beym Commandanten) ſedulo cuſtodiuntur.

1) Alex. ab Alex. Genial. Dier. I. I.


C

§. XXXVIII.



## §. XXXVIII.

Multa, profecto, adhuc haberem, quae *de vexillis eorum-que iure* dicere possem. Sed spatii hūc inclusus, et brevitatis memor silentio ea praetereo. Sufficiant ergo, quae ea de re, pro viribus meis, disserui! — Iamque calamum sepono, laetus atque contentus, si non plane, multa dicendo, nihil dixisse videar.





Leipzig, Diss., 1779 A17

ULB Halle

004 583 736

3



86.












1779, 10.

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
VEXILLIS EORVMQVE IVRE



QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.  
SOCIO  
DIE 1 APRIL ANNO MDCCCLXXXIX.  
H. L. Q. C.  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
CONRADVS CHRISTOPHORVS EYRING  
LL. AA. M.



LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.